



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XVIII. Vtrùm Sacramentum impeditum ad remissionem venialium,
sublato obice, eam conferat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

differentia tam in ordine ad mortalia, quam in ordine ad venialia, quæ commissa sunt ante Baptismum susceptum; nam mortalia non possunt deleri per solam attritionem, sed necesse est, ut ei accedat Baptismus: ad venialia autem sufficit sola attritio, ut diximus. Item licet homo habeat attritionem de mortali, & de venialibus ante Baptismum commissis, non obtinebit illorum remissionem, nisi accedat Sacramentum: ad delenda autem venialia postquam homo est in gratia, sufficit ipsa sola attritio; ergo non est necessaria vis Baptismi: imò cum supponat ea remissa, non poterit quidquam facere.

430. Respondeo primò, difficultatem esse communem aliis etiam Sacramentis: quomodo scilicet per reliqua Sacramenta vivorum, quæ jam supponunt hominem in gratia, remittantur venialia; siquidem tunc debet aliqua dispositio supernaturalis præcedere; hæc autem sola videtur habere vim ad eam remissionem; ergo etiam in aliis est eadem difficultas; ergo quod ibi dixerint, & hic dicemus.

431. Respondeo secundò, ex hoc eodem argumento, ejusque confirmatione ostendi posse nostram conclusionem. Patet, nam si quis, dum suscipit Baptismum, non doleat neque de mortalibus, neque de venialibus, certè nulla ei remittentur: si verò habeat attritionem de mortalibus, reviviscet quidem Baptismus ad mortalia, non tamen ad venialium remissionem: si autem habeat indivisibiliter attritionem de omnibus tam mortalibus, quam venialibus, tunc hujusmodi attritio, quia esset habitata prius naturâ, quam Baptismus, causaret cum illo gratiam, sicque non procederet ab homine jam grato, & justo; ergo non posset dici, habuisse vim se solâ ad remissionem venialium; ergo debemus eam vim tribuere Baptismo.

432. Dicent, eam attritionem, cum in eodem instanti reali informetur gratiâ, licet posterius naturâ, esse sufficientem, ut per se remittat ea venialia. Sed contra, ponamus casum, quo homo ille elicerit prius tempore attritionem supernaturalem de venialibus, & immediate post de mortalibus, ita ut attritio venialium existat moraliter tantum in illo instanti; tunc quidem, cum ea non informetur gratiâ, non poterit sola delere venialia; ergo debent tunc deleri per Baptismum reviviscens, etiam juxta objectionem, cui respondemus.

433. Unde absolutè dicendum cum *P. Arriaga cit. num. 22.* aut solam attritionem eorum venialium, etiam in gratia factam, non sufficere ad eorum remissionem; aut solùm concurrere de congruo, per Sacramentum autem remitti etiam de condigno; aut denique, si homo ante Baptismum non habuit positivam complacentiam de illis venialibus, licet non habuerit de illis positivum dolorem, delenda esse nihilominus, cum primum posuerit dolorem de mortalibus, licet nullum ponat in particulari de venialibus; siquidem Sacramenta probabiliter remittunt venialia, etiam de quibus homo non habet dolorem, dummodo in illis non habeat actualem, vel habitalem complacentiam.

434. Dico 2. Quando per Baptismum remittuntur venialia, sublato obice, non causatur novus gradus gratiæ Sacramentalis ex opere operato, per quam talia venialia remittantur, sed ex vi gratiæ sacramentalis antea collate remittuntur. Ita *P. Soar. P. Lugo, & P. Arriaga cit.* Probatur primò, quia ad remissionem venialium non est per se necessaria gratiæ infusio, sed ipsamet gratia regenerativa, & Baptismalis, sublato obice, est sufficiens ratio re-

missionis eorum; ergo non oportet aliquem novum gradum gratiæ ex opere operato produci ad venialium remissionem. Secundò, quia nulla apparet ratio augendi gratiam sacramentalem semel collatam ex opere operato; alioqui augetur etiam, quoties de novo ponitur melior dispositio, quod nemo concedet; ergo &c.

Dixi ex opere operato, quia si fortasse tunc cum remissione venialium conjungitur aliquid augmentum gratiæ, illud non erit ex opere operato, quod solum intendimus, nempe ratione Baptismi præteriti, sed erit ex opere operantis, sive ex merito ipsius hominis tunc operantis fundato in aliquo ejus actu bono, quo ei displicent sua venialia, aut alio simili, quod non negamus, imò concedimus semper prout sic dari novum aliquem gradum gratiæ. Patet, quia cum ille effectus ponatur, quando auferitur obex, & hic tollatur per dolorem, & retractationem venialium, qui est actus honestus, & supernaturalis, sicque meritorius de condigno augmenti gratiæ, cum sit actus hominis jam justificati, consequens est, quod ei conferatur aliquis novus gradus gratiæ ex opere operantis. Hinc tamen non sequitur, necessariò requiri, quod Sacramentum Baptismi, ob cuius virtutem tunc fit remissio venialium, ponat de novo ad hunc finem aliquem gradum gratiæ, quod tantum intendimus.

Dices primò: Baptismus non causat remissionem peccati immediatè, sed mediante gratiâ, quam causat; atqui in proposito eventu ponit novum effectum remissionis peccati; ergo ponit novum gradum gratiæ, quo mediante, illam remissionem causat. Respondeo ad majorem, Baptismum causare remissionem peccati mediante gratiâ, aut tunc, aut antea ab ipso causatâ; non tamen esse necessarium, quod semper causet hunc effectum mediante gratiâ de novo positâ, quando ponitur effectus.

Patet in effectu remissionis peccati temporalis; nam Baptismus, ut supra diximus, aliquando potest in hac vita non causare hunc effectum remissionis peccati, propter obicem respectu venialium, quem tamen, sublato obice, potest causare in primo instanti separationis animæ; & tamen tunc nullum novum gradum gratiæ confert, quo mediante illum effectum causet, sed illum causat mediante gratiâ sacramentali antea ab ipso causatâ; ergo sic poterit in hac vita per hujusmodi gratiam antea ab ipso causatam remissionem culpæ præstare; præsertim cum ipsa fuerit data, quantum erat ex se, ad remissionem omnium peccatorum, tam mortalium, quam venialium, nisi aliunde obstaret defectus alicujus dispositionis requisitæ.

Dices secundò: Idèd Baptismus sicè susceptus potest, sublato obice, causare postea remissionem peccati, sive mortalis, sive venialis, quia jam fuit acceptatus à Deo determinatè ad hunc effectum; sed eodem modo acceptatur à Deo determinatè ad gratiam, quâ omnia illa peccata remittuntur; ergo sicut ad remittenda mortalia, sublato obice, ponit gratiam, etiam poterit sic eam ponere ad venialia remittenda ex vi ipsiusmet acceptationis, quâ ad hunc effectum fuit etiam acceptatus.

Respondeo distinguendo minorem: acceptatur à Deo ad gratiam aliquam determinatam, quâ remittantur omnia ea peccata; nego minorem: ad gratiam indeterminatè majorem, aut minorem secundum dispositionem præcedentem ad ipsam gratiam; concedo minorem: hæc autem gratia data jam fuit in proposito eventu, quando fuerunt

fuerunt remissa peccata mortalia, & jam determinata secundum præsentem dispositionem; idedque non manet amplius acceptatio Baptismi ad aliam novam gratiam conferendam ex opere operato, sed ipsamet, quæ tunc ponitur ad remissionem mortalium, ponitur etiam, quantum est ex se ad remissionem venialium, quando auferetur obex quoad ipsa venialia.

440. Quæres tamen hic primò: Utrum quæ hætenus diximus de Baptismo quoad remissionem venialium, recedente fictione, dicenda etiam sint de aliis Sacramentis, (exceptâ Pœnitentiâ,) suo modo, dato, quod etiam ipsa reviviscant, prout supra diximus, & habeant vim remittendi venialia ante se commissâ; de quo suis in locis? Affirmativè. Ita *P. Arriaga* tomo 7. d. 15. num. 22. Probat, quia in reliquis Sacramentis nulla apparet specialis difficultas, ob quam, id illis denegemus; ergo &c.

441. Dixi tamen exceptâ Pœnitentiâ, quia Sacramentum Pœnitentiæ videtur excipendum; nam si homo non est confessus venialia, aut de illis dolorem non habuit, hujusmodi venialia fuerunt extra activitatem hujus Sacramenti perinde, ac si nullû Sacramentum Pœnitentiæ præcessisset; ergo non possunt per illud reviviscens deleri; licet sic possint deleri per alia Sacramenta. Et ratio diversitatis est, quia alia Sacramenta, cum sint omninò absoluta in se, si semel sint valida, habent omnem extensionem, quam possunt habere: at verò Pœnitentia respectu venialium est Sacramentum quasi respectivum; siquidem solum est respectu illorum, quæ homo confitetur, & de quibus dolet; respectu autem aliorum, quæ reticet, & de quibus non dolet, neque est Sacramentum fructuosum, neque propriè Sacramentum validum; siquidem cum essentialiter constet ex Confessione, & dolore, tanquam ex materiâ, hac deficiente, non potest stare Sacramentum quoad illa validum; hoc autem non necnitur in aliis Sacramentis, ut consideranti patebit.

442. Quæres secundò: Utrum, sicut Baptismus, sublato obice, habet virtutem ad remittenda venialia ante se commissâ, possit etiam sic remittere venialia post ipsum commissâ? Negativè. Ita *P. Soar.* tomo 3. in 3. part. d. 28. sect. 4. §. Sed quæres. Probat, quia nullum Sacramentum habet virtutem, & efficaciam circa peccata post ipsum commissâ, ut supra diximus, & suo loco dicemus; ergo &c.

SECTIO XIX.

Virum peccata semel remissa iterum per novum peccatum redeant, & reviviscant?

443. **D**iximus hætenus de reviviscentia meritum, & bonorum operum, superest, ut dicamus de reviviscentia demeritorum, & malorum operum: An etiam opera mortifera, sive peccata, quæ semel per pœnitentiam fuerunt remissa, iterum per novum peccatum reviviscant? Est idem, ac inquirere: Utrum homo ex vi novi peccati fiat reus, non solum ipsius peccati commissi, sed etiam omnium aliorum, quæ illi fuerunt remissa?

444. Advertes primò dupliciter posse dubitari; an peccata remissa possint redire, seu reviviscere: Primò propriè, & simpliciter, ita ut ipsamet peccatum numero redeat. Secundò minùs propriè, & secundum quid, ita ut redeat, non in se, sed in alio

simili, vel aliquo modo participante ejus malitiam, aut in quo virtualiter continuatur, aut ratione alicujus circumstantiæ. Advertes secundò, quæstionem posse procedere de reviviscentia peccati, vel quoad culpam, vel quoad penam, idque attentâ potentiâ Dei ordinariâ, vel absolutâ. Tandem de peccatis sumptis aut secundum suum esse physicum, aut secundum esse morale. Quæ omnia ex sequentibus Sectionibus constabunt, ad majorem tamen eorum intelligentiam aliqua supponenda sunt. Igitur.

445. Suppono primò, Deum de potentiâ absolutâ posse remittere peccatum habituale per infusionem gratiæ absque ullâ retractatione, seu Pœnitentiâ ex parte peccatoris. Ita *Soar.* in 4. dist. 14. quest. 1. §. Ex his, & dist. 16. quest. 2. *Gabr.* dist. 14. quest. 1. art. 1. not. 2. & art. 2. conclus. 1. *Ocham.* in 4. dist. 8. dub. 2. *Medin.* Cod. de Pœnit. tract. 1. quest. 7. & 12. *P. Soar.* tomo 4. in 3. p. d. 9. sect. 2. n. 3. *P. Vasq.* 1. 2. d. 207. cap. 3. *P. Valent.* tom. 4. d. 7. quest. 3. pan. 2. *P. Tanner.* tomo 4. d. 6. quest. 3. num. 39. *P. Agid.* d. 2. dub. 7. *P. Præposit.* 3. part. quest. 86. dub. 7. art. 2. *P. Lugo* d. 7. de Pœnit. sect. 8. num. 108. *P. Reginal.* lib. 5. num. 12. *P. Granad.* tract. 9. de grat. d. 1. *P. Arriaga* d. 46. de grat. num. 8. & alii. Probat, primò, quia peccatum originale potest remitti à Deo, & de facto remittitur parvulis in Baptismo per infusionem gratiæ sanctificantis absque ulla pœnitentia, aut retractatione ex parte eorum; sed quoad hoc eadem ferè est ratio de peccato habituali, ac de peccato originali; ergo &c.

446. Probat, secundò, quia Pœnitentia solum requiritur ut dispositio ad infusionem gratiæ, & remissionem peccati; sed non repugnat infundi à Deo formam sine præviis dispositionibus ei conaturalibus; ergo &c. Tertio, quia Deus potest remittere peccatum per Unionem Hypostaticam assumendo sibi naturam peccatoris, idque absque ulla prævia Pœnitentia ex parte ipsius naturæ, ut communiter dici solet in *Materia de Incarnatione*; ergo etiam poterit remittere peccatum per infusionem gratiæ, sanctificando naturam existentem in peccato absque ulla pœnitentia ex parte illius.

447. Dices 1. cum *Soar.* in 4. dist. 15. quest. 1. art. 2. dub. ult. *Petr. Sor.* Lect. 4. de Pœnit. Ledesin. & aliis Thomistis. *D. Thom.* 3. part. quest. 86. art. 2. corpor. dicit, impossibile esse, peccatum mortale remitti absque Pœnitentia, prout est virtus; ergo &c. Respondeo *D. Thom.* loco cit. debere intelligi de impossibilitate ordinariâ; non verò absolutâ.

448. Dices 2. In eo eventu tolleretur, & non tolleretur peccatum habituale, quod implicat contradictionem: tolleretur, ut supponitur: non tolleretur, siquidem peccatum habituale nihil aliud est, quam actuale moraliter perseverans; tandiu autem moraliter perseverat, tandiu sufficienter non retractatur; ergo tolli non potest absque Pœnitentia, & retractatione peccatoris. Respondeo negando majorem quoad secundam partem; tollitur enim peccatum per infusionem gratiæ; licet enim de lege ordinariâ perseveret, tandiu non retractatur, de potentiâ tamen absoluta potest tolli per condonationem, & infusionem gratiæ.

449. Instabis: Peccatum in tantum manet in ratione habitualis, in quantum manet in ratione voluntarii; sed manet in ratione voluntarii, in quantum non retractatur; ergo &c. Respondeo verum quidem esse, peccatum manere in ratione habitualis, in quantum manet in ratione voluntarii; dicimus tamen non manere in ratione voluntarii, ubi primò, aut sufficienter retractatur;